Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Nummotheca Principum Austriae

ex gazis Aulae Caesareae potissimum instructa, & aliunde aucta, quae a prima aetate, qua in Austria cusa fuit moneta Sub Babenbergicae Stirpis Marchionibus, Ad Usque Habsburgicae Gentis Principes, Lineae Hispano-Austriacae, Huiusque Masculum Ultimum Carolum II. Regem Hispan.

Complectitur tabulas aeri incisas LI

Herrgott, Marquart

Friburgi Brisgoviae, 1752

[Text]

urn:nbn:de:bsz:31-241470

Visual Library

Tab. XXVIII. rum iugatæ. Octavius iuvenili facie, & reciſis capillis, pileo criſtato tectus comparet, ſubque axilla eius dextra ſignum crucis impreſſum. Nummus forte nuptialis. *M. Imp. ar. pond.* 3. *drach.*

CXXIX.

OCTAVIVS. F. *arneſius* PARM. *æ* ET PLAC. *entiæ* DVX II. Protome Ducis armata, ac Ordinis aurei velleris inſigni conſpicua, capite nudato & ad lævam converſo, cum brevibus capillis.

MARGARETA. AB. AVSTRIA. D. *ux* P. *armæ* ET. P. *lacentiæ.* Protome Margaretæ capite vittato, qua forma in ſequenti typo, ſed maiori ſtudio delineata recurrit. *V. L. P.* 1. *p.* 39.

CXXX.

MARGARETA. AB. AVSTRIA. D. *ux* P. *armæ* ET. P. *lacentiæ.* Effigies Margaretæ capite vittato. Idem cum averſa præcedentis nummi typus, ſed diligentia maiori expreſſus. *M. Imp. ar. pond.* 3. *drach. cuſ.*

CXXXI.

OCTAV. *ius* FARN. *eſius* MARG. *arita* DE. AVST. *ria* OCT. *avii* VX. *or* PAR. *mæ* PLA. *centiæ* Q. *ue* DV. *ces.* Effiges amborum iugatæ. Octavius nudo capite, & pectore armato. Caput Margaritæ vittatum. *Id. ar. pond. ſeſqui unc.*

CXXXII.

MARGARETA. AB. AVSTRIA. D. *ux* P. *armæ* ET. GERM. *aniæ* INFER. *ioris* G. *ubernatrix.* Caput Margaritæ, pectore tenus, fere ut in præcedentibus. Proles Caroli V.

Philippus II. Rex iter e Belgio in Hiſpaniam ſuſcipiens, ſororem ſuam Margaretam, quæ Duci Parmæ, & Placentiæ nupſerat, toti Germaniæ inferiori præfecit, ſtipulata a proceribus fide: quod in obſequio manſuri eſſent, & ſorori in adminiſtrandis politicis negotiis non defuturi.

Typum huius nummi Luckius (a) quoque refert, eumque ad annum 1566. ob recitatum modo factum, reponit: ſed errat hic denuo Luckius; nam Cl. de Loon (b) eandem delineationem cum capite fratris Philippi exhibet, addita epigraphe: PHILIPPVS. HISPANIAR. *um* ET. NOVI. ORBIS. OCCIDVI. REX. in poſtica vero in circuitu capitis Margaritæ: MARGARETA. AB. AVSTRIA. D. *ux* P. *armæ* ET. P. *lacentiæ* GERM. *aniæ* INFER. *ioris* G. *ubernatrix* ÆT. *atis* 45. Chriſti vero 1559. quo anno revera regimen Belgarum ſuſcepit. Hoc itaque anno, & non, ut Luckius ſcripſit, 1566. nummus hic ſignatus fuit. Hunc nummum nos infra Tab. XXXII. n. 37. exhibebimus. *Id. ar. pond.* 2. *drach.*

CXXXIII.

MARGARETA. DE. AVTSRIA. D. *ux* P. *armæ* ET. P. *lacentiæ* GERMANIÆ. INFERIORIS. GVB. *ernatrix.* Protome Gubernatricis fere ut in præcedentibus.

Eleganti huic numiſmati Belgæ ſatyricam adpoſuerunt poſticam,

(a) Syllog. numm. p. 221.

(b) Hiſt. metall. Belg. T. I. p. 38.

Proles Caroli V.

ſticam, quæ leonem *Belgicum*, catenis ligatum, exhibet, ſub torculo preſſum, addito in ambitu hexametro: QVID. PREMITIS. REDEAT. SI. NOBILIS. IRA. LEONIS. 1566. typum cum hac inſcriptione reperies apud de
a Loon (a). At in gazis Aulæ Cæſareæ poſtica huius numiſmatis pars ſiſtit ſtatuam cum lemmate: FAVENTE. DEO. uti ex ſequentibus typis videre eſt. *Id. æ. cuſ. abſque poſtica.*

CXXXIV.

MARGARETA. DE. AVSTRIA D*ux* P.*armæ* ET. P.*lacentiæ* GERMANIÆ. INFERIORIS. G.*ubernatrix.* MARARETA criſtata, redimiculo & collari ornata, torque item ex unionibus compoſito, ex quo crux pendet, amiculo denique, paſſim unionibus diſtincto, ſiniſtrorſum reſpicit.

In averſa eadem laureata, militari habitu tanquam Amazo quædam, altera manu, dextra ſcilicet, gladium nudatum, altera ramum palmæ, & olivæ tenens, ſtat firmo gradu in rupe, cui fluctus maris illiduntur, nec quidquam cedit quatuor ventorum, quibus expoſita eſt, furori. E longinquo in mari apparet navis, verſus portum navigans, adiecto titulo: FAVENTE DEO.

Hunc nummum Dom. VAN
b Loon (b) refert ad annum 1566. quo ingentes in Belgio tumultus excitati fuerunt, partim a quibusdam nobilibus, qui in terris ſuis recuſabant exequi leges, pro ſtabiliendo ſacro Inquiſitionis officio, & puniendis hæreticis, a PHILIPPO Rege latas; partim a plebe furioſa, religioni, recens ortæ, addicta, quæ ſumma imis miſcebat, tantaque agebat ferocia, ut *Bruxellis* tutam ſe haud rata MARGARETA, de fuga in Hannoniam, *Montes* ſcilicet, cogitaret; niſi ceſſiſſet tandem conſiliariorum precibus, qui, ut *Bruxellis* maneret, ſuadebant omnes. Quam quidem ſi noſtro calculo approbemus ſententiam, eſſet hoc numiſma *conſtantiæ* indicium, qua MARGARETA conſilium ceperat, pericula omnia fortiter ſuſtinendi. At nobis alia nummi occaſio videtur, de qua paullo poſt. *M. Imp. æ. & V. L. p.* 1. *p.* 86.

Tab. XXVIII.

CXXXV.

Nihil hic nummus, neque forma, neque inſcriptione, neque figuris differt a præcedenti, niſi quod annum ætatis MARGARETÆ, nimirum 45. in parte adverſa, ac in averſa annum Chriſti, ſcilicet 1567. adſcriptum habeat.

In hac quoque parte MARGARETA, pro uno, duo tenere olivarum ramos videtur. Pars huius nummi prior etiam ex argento extat in nummophyl. Vindobon. *M. Imp. æ. cuſ.*

CXXXVI. & CXXXVII.

MARGARETA. AB. AVSTRIA. D.*ux* P.*armæ* ET. P.*lacentiæ* GERM.*aniæ* INFER.*ioris* G.*ubernatrix.* Infra ÆT.*atis* 43. MARGARETA eodem fere habitu,

Tab. XXIX.

(*a*) Loc. cit. p. 74.

(*b*) Loc. cit. p. 86.

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg